



V I R O
 MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO
 FCTISSIMO
 DOMINO
 ADRIANO
 STEGERO
 SACRÆ CÆSAR. MAJESTATI
 A CONSILIIIS,
 POTENTISSIMO POLONIARVM REGI
 ET ELECTORIS SAXONIAE A CONSILIIIS
 AVLICIS ET IVSTITIAE,
 INCLVTI SENATORVM ORDINIS IN
 REPVBL. LIPS. ADHVC PROCONSVLI
 GRAVISSIMO,
 ET AEDIS D. PETRI ANTISTITI,
*VIRO DE OMNIBVS HIS MVNERIBVS
 LONGE MERITISSIMO,*
 DE COLLATA A. M. DCC XXI DIE XXV. AVGVSTI,
 CONSVLARI DIGNITATE
 PIE GRATVLATVR
 SCHOLA NICOLAITANA.

LIPSIAE,
 LITERIS IMMANVELIS TITII.



*Uspiciis iterum Regalibus ordo Senatus
Surgit, & antiquum solemni more decorem
Instaurans viduos fasces sapiente maritat
STEGERI dextra: quicquid feralis
ademit*

*Vis Parcae, complet; jamque integer ecce refulget.
Exultant hilares feliciaque omnia captant
Consule STEGERO cives, subiere Parentis
Facta animos virtusque, Viri quo Lipsia pridem
Consule tot faustos felix numeraverat annos:
Plurima consilii quæ nunc monumenta fidelis
Tam cari desiderium capitisque revolvit.
Fallor, an id Manes senserunt, utque beatam
Præstiterat quondam STEGERVS; nunc quoque votis
Ipse juvat patriam, exemploque & sanguine firmat?
Multum equidem quam mutatum sit tempore ab illo
Miratur, vim fatorumque agnoscit, & ima*

Mente optat meliora: DEO virtuteque suadet
Nitendum, standumque animis ac robore recti.
Nate, meæ vires, inquit, mea sola voluptas
In terris, nunc exemplar virtutis avitæ;
O liceat faustis Patriæ nunc fascibus uti!
O liceat servare Tibi atque augere salutem
Civibus, auxiliumque ratum præstare vocanti
Jam Patriæ, ingenua pietate & pectore firmo.
Hæc ubi compositam firmaverit ancora puppim;
Fata viam invenient, exoptatoque beabunt
Consilia eventu, sed Tu durare ferendo
Atque Tuos Tecum rebus servare secundis,
Quoque potes Patriam studio fulcire memento.
Sancto conjugii Tibi fœdere juncta fideque
Publica res viduo est; hanc Tu complectere summa
Qua Pietate licet, quo par est conjugem amore,
Et patere amplexus, queis se Tibi tradidit artos:
Hujus in unius studium desige salute,
Et quas egisti toties pro Confule curas,
Nunc age nunc gemina vigiles; in commoda vires
Vera impende Tuas patriæ; fac templa scholæque
Curarum atque forum teneant documenta Tuarum.
Adsint consiliis, quæ crimina damnaque pellunt
A populis Divæ, conformatoque receptæ
Pectore communes Tecum cingantur in usus
Religio, ter sancta fides; prudentia reatrix
Rerum, & quæ rectum semper præponere suadet
Justitia utilibus: victrix patientia duris
In rebus, nulli cupiens cessisse labori;
Consilioque operaque juvenans Clementia cunctos;
Re bene confecta leges atque actibus almas
Impavidis firmans, duris trina æra periclis
Opponens, semperque tenax Constantia recti:
Leniat horrendas Tibi mens mansueta secures,
Suppliciique modum servet; tranquilla potestas,
Quod vis nulla potest, peragat: felicius orsis
Imperiosa quies, quam curæ fervidus ardor
Instet, & ad finem deducat cuncta beatum:
Perdurent moderata Tibi, crebroque reversos
Fasces, dulce decus, suavi gravitate coronent,
Perpetuoque Tuam signet nota fausta curulem.

Sic Patriæ redeant Tua per vestigia curæ,
 In serisque, sinant si fata, Nepotibus exsint.
 Socratico Pater ore Suis oracula pandens
 Isthæc ediderat **STEGERSVS**. At omnia cives
 Plausu & voce probant rata, prudenti oscula dextræ,
 Qua tractari optant fasces, lætissima figunt;
 Et quo plura tenent curæ emolumenta fidelis
STEGERI, hoc jam plura petunt, majoraque certo
 Pignore virtutis patriæ sibi commoda spondent:
 Imprimis pia templa scholæque hinc gaudia carpunt
 Grata **DEO**: Divi Petri quod largiter ædes
 Lacte Catechetarum ac dulci melle sacra
 Codicis exundat; Tua provida cura laborque
 Promovit: Tot Nicolai Schola signa favoris
 Jam numerat, **STEGERE**, tui, quot dogmata scitis
TE monitore haurit pubes studiosa libellis.
 Scilicet agnoscis, juvenilia pectora virtus
 Quam deceat, quantumque juvent hanc literæ & artes
 Ingenuæ, nosti, exemploque probare paterno
 Atque Tuo, Vir Summe, potes, natumque decore
 Isthoc eximium communibus usibus aptas;
 Civium & hoc natos, patriæ spem, tramite abire
 Ad majora jubes, quoties examina lustras
 Nostra, vel ingenii designas pensa laboris,
 Discipulisve probis sua dona & digna Magistris
 Præmia dispensas, que indulgentissima **PLAZI**
 Cura Scholæ nostræ Tecum tulit, atque paterno
 Affectu studia adjuvit, stimulisque favoris
 Vsque lacestivit, patriæ tribuitque saluti.

O servant **PIA FATA AVGVSTO REGE**
 perennes

Discipulis nostris, in publica commoda curas
 Has Ephori **PLAZI**, Te servant inclute **LANGI**,
 Floreque perpetuo cuncta ornet membra Senatus.
TE servant nobis Confulem, & optima quæque
 E patriis votis tribuant, **STEGERE**: Secundo
 Omina tot superes successu, exempla que vincas,
 Et majora olim linguas ea Posteritati.

❀) (❀

78 M 496

ULB Halle 3
001 618 148



TA-506
K118
1017





V I R O
 M A G N I F I C O , E X C E L L E N T I S S I M O
 F C T I S S I M O
 D O M I N O
 A D R I A N O
 S T E G E R O

SACRA MAJESTATI
 LIIS,
 POTENT ONIARVM REGI
 ET ELECTAE A CONSILIIS
 A STITITIAE,
 INCLVTVM ORDINIS IN
 REP PROCONSULI
 M O,
 E ANTISTITIL,
 VIRO L IS MVNERIBVS
 DE CO ISSIMO,
 CONS DIE XXV. AVGVSTI,
 SCHE IGNITATE
 TVR
 LAITANA.
 IS TITIL

